

1211.

64.

*Heinrich, Abt zu Berge, beurkundet die Schenkung einer für 9 Mark Silber erkauften Hufe zu Prester, welche jährlich 11 Schillinge und 6 Hühner zinst, seitens des Conventualen Eberhard an das Kloster mit der Bestimmung, für seine Eltern und ihn das Jahresgedächtniss zu feiern.*

In nomine sancte et individue trinitatis. Heinricus dei gratia abbas in monte Magdeburgensi. Notum esse volumus universis Christi fidelibus presentibus et futuris, quod dilectus confrater noster Everhardus ex amicorum nostrorum collatione et de nostro adiutorio et permissione mansum unum in Pritzter, qui erat beneficium ab antiquo, pro novem marcis puri argenti redemit, solventem annuatim undecim solidos et sex gallinas. Postulavit igitur a nobis predictus frater humiliter et devote, quatinus eundem mansum cum appenditiis anniversario patris et matris eius quoad viveret, eo vero obeunte eadem memoria in suum anniversarium transferetur, quod de communi fratrum nostrorum consensu et consilio statuimus faciendum, hanc formam diligenter exprimentes, ut de undecim solidis in prenominate anniversario fratribus serviatur et permutatione de gallinis facta cera, quoad inde haberi possit, in eiusdem memoria accendatur. Statuimus preterea et presenti scripto inserendum duximus, quod festum beati Alexii confessoris eo ritu quo dies sancti Dionisii agitur annuatim celebretur et de IIII areis in Prezter, quarum due solvunt sex solidos et alie due tantum decimam carnum vel eius restaurum, eo die fratribus serviatur. Vt autem hec nostra institutio rata et inconvulsa permaneat, sigilli nostri impressione hanc cartam roboramus.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCCXI presentia totius conventus.

*Abschrift im Privilegienbuche S. 324. 325 mit der Ueberschrift: Prester unus mansus solvens XI solidos et VI gallinas. E III.*

Magdeburg, 1212, December 20.

65.

*Albrecht II., Erzbischof zu Magdeburg, bestätigt den Kauf von 2 Hufen, 2 Höfen und der Advocatie im Dorfe Etgersleben seitens des Klosters Berge für 40 Mark Silber.*

In nomine sancte et individue trinitatis. Albertus dei gratia sancte Magdeburgensis ecclesie archiepiscopus secundus. Ea, que ductu rationis aguntur et speciem continent honestatis, non immerito sortiuntur robur perpetue firmitatis. Ideoque cum dilectus noster abbas et conventus beati Iohannis baptiste in monte Magdeburgensi nostris obsequiis expositi semper fuerint et parati, nos eorum non immerito tenemur commodis et profectibus imminere. Notum itaque esse volumus tam presentibus quam futuris, quod cum Thidericus de Adikersleve duos